voluit vos ad nostram imitationem admonitos. Ergo ex his quod praecedebat. Quanto maiora erga vos beneficia narravimus, tanto maiores ingratitudinis vos reos esse monstrabimus. Semper enim his omnibus extitistis ingrati. Nam ipsis pedibus quibus aridum mare transistis, ludebatis ante idola quae fecistis. Et ipso paulo ante ore adulatorio domino cantaveratis, simulacra vobis fieri poposcistis. Et illis oculis quibus venerandam domini in nube vel igne conspicere solebatis, simulacra intuebamini. Manna quoque vobis fastidio fuit. Et semper in deserto contra dominum murmurastis, ad Aegyptum unde vos manu valida eiecerat redire volentes. Quid plura? Ita patres vestri crebra provocatione dominum irritaverunt, ut omnes in heremo morerentur, nec plus ex senioribus illorum quam duo homines terram promissionis intrarent. Sed quid antiqua replicamus, cum et si illa nullus fecisset, de hoc solo nec vos dignos venia iudicaret, quod dominum Iesum prophetarum semper vobis vocibus repromissum non solum suscipere noluistis, sed et morte pessima peremistis. Quem nos ut cognovimus statim credidimus, cum nobis de eo ante non fuisset praedicatum. Unde probatur quia idola colentes non obstinatione mentis sed ignorantia deperibamus. Qui enim agnitum illico sequimur, olim utique sequeremur si ante cognovissemus. Si autem de generis nobilitate iactabitis, quasi non morum imitatio magis quam carnalis nativitas filios nos faciat Abrahae. Denique Esau et Ismael, cum de stirpe sint Abrahae, minime tamen in filios reputantur. His talibus altercantibus apostolus se medium interponens ita utrorum dirimit quaestiones, ut neutrum eorum sua iustitia salutem meruisse confirmaret. Et hos vero populos scienter et graviter deliquisse: Iudaeos, quia per praevaricationem legis deum inhonoraverunt; gentes vero, quia cum agnitum Deum creatorem debuerunt venerari, gloriam eius in manufacta mutaverunt simulacra. Et utrosque similiter veniam consecutos aequales esse verissima ratione demonstrat, praesertim cum in eadem lege et gentes ad Christi fidem vocandos ostendat. Quos ob rem invicem eos humilians ad pacem et concordiam cohortatur.

Romani sunt in partibus Italiae. Hi praeventi sunt a falsis apostolis et sub nomine domini nostri Iesu Christi in legem et prophetas erant inducti. Hos revocat apostolus ad veram et evangelicam fidem scribens eis ab Athenis.

PAULUS servus Iesu Christi, vocatus apostolus, segregatus in evangelium Dei, quod ante promiserat per prophetas suos in scripturis sanctis de Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem, qui praedestinatus est Filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Iesu Christi domini nostri, per quem accepimus gratiam et apostolatum ad obediendum fidei in omnibus gentibus pro nomine eius, in quibus estis et vos vocati Iesu Christi, omnibus qui sunt Romae, dilectis Dei, vocatis sanctis. Gratia vobis et pax a Deo patre nostro et domino Iesu Christo. Primum quidem gratias ago Deo meo per Iesum Christum pro omnibus vobis, quia fides vestra annuntiatur in universo mundo. Testis enim mihi est Deus, cui servio in spiritu meo in evangelio Filii eius, quod sine intermissione memoriam vestri facio semper in orationibus meis, obsecrans si quomodo tandem aliquando prosperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos. Desidero enim videre vos, ut aliquid impertiar vobis gratiae spiritualis ad confirmandos vos, id est simul consolari in vobis per eam quae invicem est fidem vestram atque meam. Nolo autem vos ignorare, fratres, quia saepe proposui venire ad vos, et prohibitus sum usque adhuc, ut aliquem fructum habeam in vobis, sicut et in ceteris gentibus. Graecis ac barbaris, sapientibus et insipientibus debitor sum. Ita quod in me promptum est et vobis qui Romae estis evangelizare. Non enim erubesco evangelium. Virtus enim Dei est in salutem omni credenti, Iudaeo primum et Graeco. Iustitia enim Dei in eo revelatur ex fide in fidem, sicut scriptum est: Iustus autem ex fide vivit. Revelatur enim ira Dei de caelo super omnem impietatem et iniustitiam hominum eorum qui veritatem Dei in iniustitia detinent. Quia quod notum est Dei manifestum est in illis. Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus et divinitas, ita ut sint inexcusabiles. Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum. Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis et volucrum et quadrupedum et serpentium. Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis, qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium, et coluerunt et servierunt creaturae potius quam creatori, qui est benedictus in saecula. Amen.

propterea tradidit illos deus in passiones ignominie. Nam femine eorum immutaverunt naturalem usum in eum usum qui est contra naturam. Similiter autem et masculi relicto naturali usu femine exarserunt in desideriis suis in invicem masculi in masculos turpitudinem operantes et mercedem quam oportuit erroris sui in semetipsis recipientes. Et sicut non probaverunt deum habere in notitia: tradidit illos deus in reprobum sensum ut faciant ea que non conveniunt. Repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, nequitia. Plenos invidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate. Susurrones, detractores, deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inventores malorum, parentibus non obedientes, insipientes, incompositos, sine affectione, absque federe, sine misericordia. Qui cum iustitiam dei cognovissent: non intellexerunt quoniam qui talia agunt digni sunt morte. Non solum qui faciunt ea: sed et qui consentiunt facientibus.

II Propter quod inexcusabilis es o homo omnis qui iudicas. In quo enim iudicas alterum teipsum condempnas. Eadem enim agis que iudicas. Scimus enim quoniam iudicium dei est secundum veritatem in eos qui talia agunt. Existimas autem hoc o homo qui iudicas eos qui talia agunt et facis ea: quia tu effugies iudicium dei? An divitias bonitatis eius et patientie et longanimitatis contempnis? Ignoras quoniam benignitas dei ad penitentiam te adducit? Secundum duritiam autem tuam et impenitens cor thesaurizas tibi iram in die ire et revelationis iusti iudicii dei: qui reddet unicuique secundum opera eius. His quidem qui secundum patientiam boni operis gloriam et honorem et incorruptionem querentibus: vitam eternam. His autem qui sunt ex contentione et qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati: ira et indignatio. Tribulatio et angustia in omnem animam hominis operantis malum: iudei primum et greci. Gloria autem et honor et pax omni operanti bonum: iudeo primum et greco. Non enim est personarum acceptio apud deum. Quicumque enim sine lege peccaverunt: sine lege peribunt. Et quicumque in lege peccaverunt: per legem iudicabuntur. Non enim auditores legis iusti sunt apud deum: sed factores legis iustificabuntur. Cum enim gentes que legem non habent naturaliter ea que legis sunt faciunt: eiusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex. Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis: testimonium reddente illis conscientia ipsorum et inter se invicem cogitationum accusantium aut etiam defendentium in die qua iudicabit deus occulta hominum secundum evangelium meum per ihesum christum. Si autem tu iudeus cognominaris et requiescis in lege et gloriaris in deo et nosti voluntatem eius et probas utiliora instructus per legem: confidis teipsum ducem esse cecorum, lumen eorum qui in tenebris sunt, eruditorem insipientium, magistrum infantium, habentem formam scientie et veritatis in lege. Qui ergo alium doces teipsum non doces? Qui predicas non furandum: furaris. Qui dicis non mechandum: mecharis. Qui abhominaris ydola: sacrilegium facis. Et qui in lege gloriaris: per prevaricationem legis deum inhonoras. Nomen enim dei per vos blasphematur inter gentes sicut scriptum est. Circumcisio quidem prodest si legem observes. Si autem prevaricator legis sis: circumcisio tua preputium facta est. Si igitur preputium iustitias legis custodiat: nonne preputium illius in circumcisionem reputabitur? Et iudicabit quod ex natura est preputium legem consummans te qui per litteram et circumcisionem prevaricator legis es. Non enim qui in manifesto iudeus est: neque que in manifesto in carne circumcisio: sed qui in abscondito iudeus est et circumcisio cordis in spiritu non littera: cuius laus non ex hominibus sed ex deo est.

III Quid ergo amplius iudeo est: aut que utilitas circumcisionis? Multum per omnem modum. Primum quidem quia credita sunt illis eloquia dei. Quid enim si quidam illorum non crediderunt? Numquid incredulitas illorum fidem dei evacuavit? Absit. Est autem deus verax: omnis autem homo mendax sicut scriptum est: ut iustificeris in sermonibus tuis et vincas cum iudicaris. Si autem iniquitas nostra iustitiam dei commendat: quid dicemus? Numquid iniquus est deus qui infert iram? Secundum hominem dico. Absit. Alioquin quomodo iudicabit deus hunc mundum? Si enim veritas dei in meo mendacio abundavit in gloriam ipsius: quid adhuc et ego tamquam peccator iudicor? Et non sicut blasphemamur et sicut aiunt quidam nos dicere: faciamus mala ut veniant bona: quorum dampnatio iusta est. Quid ergo? Precellimus eos? Nequaquam. Causati enim sumus iudeos et grecos omnes sub peccato esse. Sicut scriptum est: Quia non est iustus quisquam: non est intelligens: non est requirens deum. Omnes declinaverunt simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum: non est usque ad unum. Sepulchrum patens est guttur eorum: linguis suis dolose agebant. Venenum aspidum sub labiis eorum. Quorum os maledictione et amaritudine plenum est. Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem. Contritio et infelicitas in viis eorum: et viam pacis non cognoverunt. Non est timor dei ante oculos eorum. Scimus autem quoniam quecumque lex loquitur: his qui in lege sunt loquitur: ut omne os obstruatur et subditus fiat omnis mundus deo. Quia ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo. Per legem enim cognitio peccati. Nunc autem sine lege iustitia dei manifestata est testificata a lege et prophetis. Iustitia autem dei per fidem ihesu christi in omnes et super omnes qui credunt in eum. Non enim est distinctio. Omnes enim peccaverunt et egent gloria dei. Iustificati gratis per gratiam ipsius: et per redemptionem que est in christo ihesu. Quem proposuit deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem iustitie sue propter remissionem precedentium delictorum in sustentatione dei: ad ostensionem iustitie eius in hoc tempore: ut sit

ipse iustus, et iustificans eum qui ex fide est Iesu Christi. Ubi est ergo gloriatio tua? Exclusa est. Per quam legem? factorum? Non, sed per legem fidei. Arbitramur enim iustificari hominem per fidem sine operibus legis. An Iudaeorum Deus tantum? Nonne et gentium? Immo et gentium. Quoniam quidem unus Deus, qui iustificat circumcisionem ex fide, et praeputium per fidem. Legem ergo destruimus per fidem? Absit, sed legem statuimus.

IIII Quid ergo dicemus invenisse Abraham patrem nostrum secundum carnem? Si enim Abraham ex operibus legis iustificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum. Quid enim scriptura dicit? Credidit Abraham Deo et reputatum est illi ad iustitiam. Ei autem qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. Ei vero qui non operatur, credenti autem in eum qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam secundum propositum gratiae Dei. Sicut et David dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert iustitiam sine operibus: Beati quorum remissae sunt iniquitates et quorum tecta sunt peccata. Beatus vir cui non imputabit Dominus peccatum. Beatitudo ergo haec in circumcisione tantum manet, an in praeputio? Dicimus enim quia reputata est Abrahae fides ad iustitiam. Quomodo ergo reputata est? in circumcisione an in praeputio? Non in circumcisione, sed in praeputio. Et signum accepit circumcisionis, signaculum iustitiae fidei quae est in praeputio, ut sit pater omnium credentium per praeputium, ut reputetur et illis ad iustitiam, et sit pater circumcisionis, non his tantum qui sunt ex circumcisione, sed et his qui sectantur vestigia eius quae est in praeputio fidei patris nostri Abrahae. Non enim per legem promissio Abrahae aut semini eius, ut heres esset mundi, sed per iustitiam fidei. Si enim qui ex lege heredes sunt, exinanita est fides, abolita est promissio. Lex enim iram operatur. Ubi enim non est lex, nec praevaricatio. Ideo ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio omni semini, non ei qui ex lege est solum, sed et ei qui ex fide est Abrahae, qui est pater omnium nostrum, sicut scriptum est: Quia patrem multarum gentium posui te, ante Deum cui credidisti, qui vivificat mortuos, et vocat ea quae non sunt tamquam ea quae sunt. Qui contra spem in spem credidit, ut fieret pater multarum gentium, secundum quod dictum est ei: Sic erit semen tuum sicut stellae caeli et arena maris. Et non infirmatus est in fide, nec consideravit corpus suum iam emortuum, cum fere centum esset annorum, et emortuam vulvam Sarae. In repromissione etiam Dei non haesitavit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo, plenissime sciens quia quaecumque promisit potens est et facere. Ideo et reputatum est ei ad iustitiam. Non est autem scriptum propter ipsum tantum quia reputatum est illi ad iustitiam, sed et propter nos quibus reputabitur credentibus in eum qui suscitavit Dominum nostrum Iesum Christum a mortuis, qui traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter iustificationem nostram.

q̄ ē ī more

V Iustificati ergo ex fide pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem et accessum habemus per fidem in gratiam istam in qua stamus, et gloriamur in spe gloriae filiorum Dei. Non solum autem, sed et gloriamur in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit, quia caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis. Ut quid enim Christus, cum adhuc infirmi essemus, secundum tempus pro impiis mortuus est? Vix enim pro iusto quis moritur. Nam pro bono forsitan quis audeat mori. Commendat autem suam caritatem Deus in nos, quoniam si cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est, multo igitur magis nunc iustificati in sanguine ipsius salvi erimus ab ira per ipsum. Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii eius, multo magis reconciliati salvi erimus in vita ipsius. Non solum autem, sed et gloriamur in Deo per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem nunc reconciliationem accepimus. Propterea sicut per unum hominem in hunc mundum peccatum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt. Usque ad legem enim peccatum erat in mundo. Peccatum autem non imputabatur, cum lex non esset. Sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysen, etiam in eos qui non peccaverunt in similitudinem praevaricationis Adae, qui est forma futuri. Sed non sicut delictum, ita et donum. Si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei et donum in gratia unius hominis Iesu Christi in plures abundavit. Et non sicut per unum peccatum, ita et donum. Nam iudicium ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in iustificationem. Si enim unius delicto mors regnavit per unum, multo magis abundantiam gratiae et donationis iustitiae accipientes in vita regnabunt per unum Iesum Christum. Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic et per unius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitae. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita et per unius obeditionem iusti constituentur multi. Lex autem subintravit ut abundaret delictum. Ubi autem abundavit delictum, superabundavit et gratia, ut sicut regnavit peccatum in mortem, ita et gratia regnet per iustitiam in vitam aeternam per Iesum Christum Dominum nostrum.

VI Quid ergo dicemus? Permanebimus in peccato ut gratia abundet? Absit. Qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo? An ignoratis fratres quia quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per

baptismum in mortem ut quomodo surrexit Christus a mortuis per gloriam patris ita et nos in novitate vitae ambulemus. Si enim conplantati facti sumus similitudini mortis eius simul et resurrectionis erimus. Hoc scientes quia vetus homo noster simul crucifixus est ut destruatur corpus peccati ut ultra non serviamus peccato. Qui enim mortuus est iustificatus est a peccato. Si autem mortui sumus cum Christo credimus quia simul etiam vivemus cum eo. Scientes quod Christus resurgens a mortuis iam non moritur mors illi ultra non dominabitur. Quod enim mortuus est peccato mortuus est semel. Quod autem vivit vivit Deo. Ita et vos existimate vos mortuos quidem esse peccato viventes autem Deo in Christo Iesu. Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore ut oboediatis concupiscentiis eius. Sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato sed exhibete vos Deo tamquam ex mortuis viventes et membra vestra arma iustitiae Deo. Peccatum enim vobis non dominabitur non enim sub lege estis sed sub gratia. Quid ergo peccabimus quia non sumus sub lege sed sub gratia? Absit. Nescitis quoniam cui exhibetis vos servos ad oboediendum servi estis eius cui oboeditis sive peccati ad mortem sive oboeditionis ad iustitiam? Gratias autem Deo quod fuistis servi peccati oboedistis autem ex corde in eam formam doctrinae in qua traditi estis. Liberati autem a peccato servi facti estis iustitiae. Humanum dico propter infirmitatem carnis vestrae. Sicut enim exhibuistis membra vestra servire inmunditiae et iniquitati ad iniquitatem ita nunc exhibete membra vestra servire iustitiae in sanctificationem. Cum enim servi essetis peccati liberi fuistis iustitiae. Quem ergo fructum habuistis tunc in illis in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors est. Nunc vero liberati a peccato servi autem facti Deo habetis fructum vestrum in sanctificationem finem vero vitam aeternam. Stipendia enim peccati mors. Gratia autem Dei vita aeterna in Christo Iesu Domino nostro.

VII

An ignoratis fratres scientibus enim legem loquor quia lex in homine dominatur quanto tempore vivit? Nam quae sub viro est mulier vivente viro alligata est legi. Si autem mortuus fuerit vir eius soluta est a lege viri. Igitur vivente viro vocabitur adultera si fuerit cum alio viro. Si autem mortuus fuerit vir eius liberata est a lege viri ut non sit adultera si fuerit cum alio viro. Itaque fratres mei et vos mortificati estis legi per corpus Christi ut sitis alterius qui ex mortuis resurrexit ut fructificetis Deo. Cum enim essemus in carne passiones peccatorum quae per legem erant operabantur in membris nostris ut fructificarent morti. Nunc autem soluti sumus a lege mortis in qua detinebamur ita ut serviamus in novitate spiritus et non in vetustate litterae. Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? Absit. Sed peccatum non cognovi nisi per legem. Nam concupiscentiam nesciebam nisi lex diceret non concupisces. Occasione autem accepta peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. Sine lege enim peccatum mortuum erat. Ego autem vivebam sine lege aliquando. Sed cum venisset mandatum peccatum revixit. Ego autem mortuus sum et inventum est mihi mandatum quod erat ad vitam hoc esse ad mortem. Nam peccatum occasione accepta per mandatum seduxit me et per illud occidit. Itaque lex quidem sancta et mandatum sanctum et iustum et bonum. Quod ergo bonum est mihi factum est mors? Absit. Sed peccatum ut appareat peccatum per bonum mihi operatum est mortem ut fiat supra modum peccans peccatum per mandatum. Scimus enim quia lex spiritalis est. Ego autem carnalis sum venundatus sub peccato. Quod enim operor non intellego. Non enim quod volo hoc ago sed quod odi illud facio. Sed quod nolo illud facio.
Si autem quod nolo illud facio consentio legi quoniam bona est. Nunc autem iam non ego operor illud sed quod habitat in me peccatum. Scio enim quod non habitat in me hoc est in carne mea bonum. Nam velle adiacet mihi perficere autem bonum non invenio. Non enim quod volo bonum hoc facio sed quod nolo malum hoc ago. Si autem quod nolo illud facio non ego operor illud sed quod habitat in me peccatum. Invenio igitur legem volenti mihi facere bonum quoniam mihi malum adiacet. Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem. Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae et captivantem me in lege peccati quae est in membris meis. Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Igitur ego ipse mente servio legi Dei carne autem legi peccati. Nihil ergo nunc damnationis est his qui sunt in Christo Iesu qui non secundum carnem ambulant. Lex enim spiritus vitae in Christo Iesu liberavit me a lege peccati et mortis.

VIII

Nam quod inpossibile erat legis in quo infirmabatur per carnem Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati et de peccato damnavit peccatum in carne ut iustificatio legis impleretur in nobis qui non secundum carnem ambulamus sed secundum spiritum. Qui enim secundum carnem sunt quae carnis sunt sapiunt qui vero secundum spiritum quae sunt spiritus sentiunt. Nam prudentia carnis mors est. Prudentia autem spiritus vita et pax. Quoniam sapientia carnis inimica est Deo. Legi enim Dei non est subiecta. Nec enim potest. Qui autem in carne sunt Deo placere non possunt. Vos autem in carne non estis sed in spiritu si tamen spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem spiritum Christi non habet hic non est eius. Si autem Christus in vobis est corpus quidem mortuum est propter peccatum spiritus vero vivit propter iustificationem. Quod si spiritus eius qui suscitavit Iesum a mortuis habitat in vobis qui suscitavit Iesum Christum a mortuis vivificabit et mortalia corpora vestra propter inhabitantem spiritum eius in vobis. Ergo fratres debitores sumus non carni ut secundum carnem vivamus. Si enim secundum carnem vixeritis moriemini. Si autem spiritu facta carnis mortificaveritis vivetis. Qui

tem. Moyses enim scripsit: Quoniam iustitiam que ex
lege est qui fecerit homo, vivet in ea. Que autem ex
fide est iustitia sic dicit. Ne dixeris in corde tuo
quis ascendit in celum, id est, Christum deducere. Aut
quis descendit in abyssum, hoc est Christum a mortuis
revocare. Sed quid dicit scriptura? Prope est verbum
in ore tuo et in corde tuo, hoc est verbum fidei quod
predicamus. Quia si confitearis in ore tuo dominum Ihesum
et in corde tuo credideris, quod deus illum excitavit
a mortuis, salvus eris. Corde enim creditur ad
iustitiam. Ore autem confessio fit ad salutem. Dicit
enim scriptura: Omnis qui credit in eum non confundetur.
Non enim est distinctio iudei et greci. Nam idem dominus omnium,
dives in omnes qui invocant illum. Omnis enim quicumque in-
vocaverit nomen domini salvus erit. Quomodo ergo invo-
cabunt in quem non crediderunt? Aut quomodo credent
ei quem non audierunt? Quomodo autem audient sine
predicante? Quomodo vero predicabunt nisi mittantur? Si-
cut scriptum est: Quam speciosi pedes evangelizan-
tium pacem, evangelizantium bona. Sed non omnes obe-
diunt evangelio. Ysaias enim dicit: Domine quis cre-
didit auditui nostro? Ergo fides ex auditu,
auditus autem per verbum Christi. Sed dico: Numquid non au-
dierunt? Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum, et
in fines orbis terre verba eorum. Sed dico: numquid
Israel non cognovit? Primus Moyses dicit: Ego
ad emulationem vos adducam in non gentem,
in gentem insipientem in iram vos mittam. Ysa-
ias autem audet et dicit: Inventus sum a non
querentibus me, palam apparui his qui me
non interrogabant. Ad Israel autem dicit: Tota die
expandi manus meas ad populum non credentem et
contradicentem michi.

XI Dico ergo: Numquid repulit deus populum suum? Ab-
sit. Nam et ego Israelita sum, ex semine Abra-
ham, de tribu Beniamin. Non repulit deus ple-
bem suam quam prescivit. An nescitis in Elia quid dicit
scriptura? Quemadmodum interpellat deum adversum Israel?
Domine, prophetas tuos occiderunt, altaria tua suffo-
derunt: et relictus sum ego solus, et querunt animam
meam. Sed quid dicit illi divinum responsum? Reliqui
michi vii milia virorum, qui non curvaverunt genu
ante Baal. Sic ergo et in hoc tempore reliquie se-
cundum electionem gratie dei salve facte sunt. Si autem
gratia, iam non ex operibus. Alioquin gratia iam non
est gratia. Quid ergo? Quod querebat Israel, hoc non est conse-
cutus, electio autem consecuta est. Ceteri vero excecati
sunt, sicut scriptum est: Dedit illis deus spiritum compunctionis,
oculos ut non videant, et aures ut non audiant,
usque in hodiernum diem. Et David dicit: Fiat mensa eo-
rum coram ipsis in laqueum, et in captionem, et in
scandalum, et in retributionem illis. Obscurentur
oculi eorum ne videant, et dorsum eorum semper incurva.
Dico ergo: Numquid sic offenderunt ut caderent? Absit.
Sed illorum delicto salus est gentibus, ut illos emu-
lentur. Quod si delictum illorum divitie sunt mundi,
et diminutio eorum divitie gentium, quanto ma-
gis plenitudo eorum? Vobis enim dico gentibus: quamdiu
quidem ego sum gentium apostolus, ministerium meum honori-
ficabo, si quomodo ad emulandum provocem carnem meam,
et salvos faciam aliquos ex illis. Si enim amissio eo-
rum reconciliatio est mundi, que assumptio nisi vita ex
mortuis? Quod si delibatio sancta est, et massa: et si ra-
dix sancta, et rami. Quod si aliqui ex ramis fracti sunt,
tu autem cum oleaster esses, insertus es in illis, et so-
cius radicis et pinguedinis olive factus es, noli
gloriari adversus ramos. Quod si gloriaris, non tu ra-
dicem portas, sed radix te. Dices ergo: Fracti sunt ra-
mi, ut ego inserar. Bene. Propter incredulitatem
fracti sunt. Tu autem fide stas. Noli altum sa-
pere, sed time. Si enim deus naturalibus ramis non pepercit,
ne forte nec tibi parcat. Vide ergo bonitatem et
severitatem dei: in eos quidem qui ceciderunt severi-
tatem, in te autem bonitatem si permanseris in bonita-
te. Alioquin et tu excideris. Sed et illi si non permanserint
in incredulitate inserentur. Potens est enim deus
iterum inserere illos. Nam si tu ex naturali excisus es o-
leastro, et contra naturam insertus es in bonam olivam,
quanto magis hi qui secundum naturam inserentur sue oli- .fur
ve. Nolo enim vos ignorare fratres mysterium hoc,
ut non sitis vobis ipsis sapientes, quia cecitas
ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium
intraret. Et sic omnis Israel salvus fieret, sicut scrip-
tum est: Veniet ex Syon qui eripiat, et avertet
impietatem a Iacob. Et hoc illis a me testamentum, cum
abstulero peccata eorum. Secundum evangelium quidem
inimici propter vos, secundum electionem autem karissimi propter patres. Si-
ne penitentia enim sunt dona et vocatio dei. Sicut enim ali-
quando et vos non credidistis deo, nunc autem misericordiam consecuti
estis propter illorum incredulitatem, ita et isti nunc
non crediderunt in vestram misericordiam, ut et ipsi misericordiam conse-
quantur. Conclusit enim deus omnia in incredulitate
ut omnium misereatur. O altitudo divitiarum sa-
pientie et scientie dei, quam incomprehensibilia sunt iudi-
cia eius, et investigabiles vie eius. Quis enim
cognovit sensum domini? Aut quis consiliarius eius
fuit? Aut quis prior dedit illi, et retribuetur
ei? Quoniam ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia. Ipsi
honor et gloria in secula. Amen.

XII Obsecro itaque vos fratres per misericordiam dei ut exhibeatis
corpora vestra [illegible] hostiam vi-
ventem sanctam deo placentem, rationabile obsequi-
um vestrum. Et nolite conformari huic seculo, sed refor-
mamini in novitate sensus vestri, ut probetis que
sit voluntas dei bona, et beneplacens, et perfecta. Di-
co enim per gratiam que data est michi omnibus qui sunt inter vos
non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobri-
etatem, et unicuique sicut deus divisit mensuram fidei.
Sicut enim in uno corpore multa membra habemus,
omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi
unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra. .alr
Habentes autem donationes secundum gratiam que data est nobis
differentes, sive prophetiam secundum rationem fidei, sive
ministerium in ministrando, sive qui docet in doc-

rma. Qui gloriatur in domino glorietur. Non enim qui
se ipse commendat ille probus est sed quem deus
commendat. Utinam modicum quid sustineretis
modicum insipientiae meae. Sed et sustinete me.
Aemulor enim vos dei aemulatione. Despondi enim
vos uni viro virginem castam exhibere christo.
Timeo autem ne sicut serpens hevam seduxit astutia
sua ita corrumpantur sensus vestri et excidant a
simplicitate quae est in christo iesu. Nam si is qui
advenit alium iesum praedicat quem non praedicavimus
aut spiritum accipitis quem non accepistis aut evangelium
quod non recepistis recte patienter tolleretis. Existimo
autem nihil me minus fecisse a magnis apostolis. Nam
etsi imperitus sermone sed non scientia. Sed in omnibus
manifestati sumus vobis. An peccatum feci me ipsum
humiliando ut vos exaltemini quia gratis dei evangelium
evangelizavi vobis. Alias ecclesias spoliavi accipiens
stipendium ad ministerium vestrum. Et cum apud vos
essem et egerem nulli onerosus fui. Nam quod mihi
deerat supplevit frater qui venit a macedonia. Et in
omnibus sine onerosus vobis fui et sine fuero. Vivit
veritas christi in me quia haec gloriatio non infringetur
in me in regionibus achaiae. Quam ob rem quia non
diligam vos deus scit. Sed quod facio et faciam ut
amputem occasiones eorum qui volunt occasionem ut
in quo gloriantur inveniantur et sicut nos. Nam
huiusmodi pseudoapostoli operarii subdoli transfigurantes
se in apostolos christi. Et non mirum ipse enim satanas
transfigurat se in angelum lucis. Non ergo magnum si
ministri eius transfigurentur sicut ministri iustitiae
quorum finis erit secundum opera ipsorum. Iterum dico
ne quis me putet insipientem alioquin velut insipientem
accipite me ut et ego modicum quid glorier. Quod
loquor non loquor secundum deum sed quasi in
insipientia in hac confidentiae gloriationis. Quoniam
multi gloriantur secundum carnem et ego gloriabor.
Libenter enim suffertis insipientes cum sitis ipsi sapientes.
Sustinetis enim si quis vos in servitutem redigit si quis
devorat si quis accipit si quis extollitur si quis in faciem
vos caedit. Secundum ignobilitatem dico quasi nos
infirmi fuerimus in quo quis audet ego audeo in
insipientia dico audeo et ego. Hebraei sunt et ego.
Israelitae sunt et ego. Semen abrahae sunt et ego.
Ministri christi sunt et ego. Plus ego in laboribus
abundantius in plagis supra modum in carceribus
frequentius in mortibus frequenter. A iudaeis quinquies
quadragenas una minus accepi. Ter virgis caesus sum
semel lapidatus sum. Ter naufragium feci nocte et die
in profundo maris fui. In itinere saepe periculis fluminum
periculis latronum periculis ex genere periculis ex
gentibus periculis in civitate periculis in solitudine
periculis in mari periculis in falsis fratribus in labore
et aerumna in vigiliis multis in fame et sitim in
ieiuniis multis in frigore et nuditate praeter illa quae
extrinsecus sunt instantia mea quotidiana sollicitudo
omnium ecclesiarum. Quis infirmatur et ego non infirmor
quis scandalizatur et ego non uror. Si gloriari oportet
quae infirmitatis meae gloriabor. Deus et patris domini
nostri iesu christi qui est benedictus in saecula
saeculorum scit quod non mentior. Damascus gentis
aretae regis custodiebat civitatem damascenorum ut me
comprehenderet et per sportam dimissus sum per
fenestram in muro et evasi manus eius. Gloriari
quidem non expedit venio autem ad visiones et revelationes
domini. Scio hominem in christo ante annos quattuordecim
sive in corpore nescio sive extra corpus nescio deus scit
raptum huiusmodi usque ad tertium caelum. Et scio
huiusmodi hominem sive in corpore sive extra corpus
nescio deus scit quoniam raptus est in paradisum et
audivit arcana verba quae non licet homini loqui.
Pro huiusmodi gloriabor pro me autem nihil nisi in
infirmitatibus meis. Nam et si voluero gloriari non
ero insipiens veritatem enim dicam. Parco autem ne
quis me existimet supra id quod videt in me aut aliquid
audit ex me. Et magnitudo revelationum ne extollar
datus est mihi stimulus carnis meae angelus satanae
qui me colaphizet ne extollar. Propter quod ter dominum
rogavi ut discederet a me. Et dixit mihi sufficit tibi
gratia mea nam virtus in infirmitate perficitur. Libenter
igitur gloriabor in infirmitatibus meis ut inhabitet in me
virtus christi. Propter quod placeo mihi in infirmitatibus
in contumeliis in necessitatibus in persecutionibus in
angustiis pro christo. Cum enim infirmor tunc potens
sum. Factus sum insipiens vos me coegistis. Ego enim
a vobis debui commendari nihil enim minus fui a
magnis apostolis etsi nihil sum. Signa quidem apostolatus
mei facta sunt super vos in omni patientia signis et
prodigiis et virtutibus. Quid enim habuistis minus
super alias ecclesias nisi quod ego non gravavi vos
donate mihi hanc iniuriam. Ecce tertio hoc paratus
sum venire ad vos et non gravabo vos non enim quaero
quae vestra sunt sed vos. Nec debent filii parentibus
thesaurizare sed parentes filiis. Ego autem libentissime
impendam et superimpendar ipse pro animabus vestris.
Plus vos non diligens minus diligar. Sit autem ita
ego non gravavi vos sed cum astutus essem dolo vos
cepi. Numquid circumvenit vos per aliquem eorum
quos misi ad vos. Rogavi titum et misi mecum fratrem
numquid circumvenit vos titus numquid non eodem
spiritu ambulavimus numquid non eisdem vestigiis.
Iterum existimatis quod excusemus nos coram deo in
conspectu christi omnia autem carissimi propter
aedificationem vestram. Timeo enim ne forte cum
venero non quales volo invenio vos et ego inveniar a
vobis qualem non vultis ne forte contentiones aemulationes
animositates dissensiones detractiones susurrationes
inflationes seditiones inveniam vos. Ne cum iterum
venero humiliet me deus apud vos et lugeam multos
ex his qui ante peccaverunt et non egerunt paenitentiam
super immunditia et fornicatione et luxuria quam
gesserunt. Hoc tertio venio ad vos in ore duorum
testium et trium stabit omne verbum. Dixi praedixi
et praedico sicut praesens et nunc absens iis qui ante
peccaverunt et ceteris omnibus quia si venero iterum
non parcam. Quoniam experimentum quaeritis eius qui
in me loquitur christi qui in vobis non infirmatur sed
potens est in vobis. Nam et crucifixus est ex infirmitate
sed vivit ex virtute dei. Nam et nos infirmi sumus in
illo sed vivemus cum illo ex virtute dei. Vosmetipsos
tentate si estis in fide ipsi probate an non cognoscitis
vosmetipsos quia christus iesus in vobis nisi forte
reprobi estis. Spero autem quod cognoscatis quia nos
non sumus reprobi. Optamus autem a deo ne quid mali
faciatis non ut nos probi videamur sed ut vos quod
honestum est faciatis nos autem tamquam reprobi
simus. Possumus enim nihil contra veritatem sed pro
veritate. Gaudemus enim cum infirmi fuerimus vos autem
fortes sitis hoc quoque optamus vestram consummationem.
Ideo haec absens scribo ne praesens durius agam secundum
potestatem quam dominus dedit mihi in aedificationem
et non in destructionem. Reliquum fratres gaudete
perfectionem habete consolationem habete idipsum
sapite pacem habete et deus pacis et dilectionis erit
vobiscum. Salutate invicem in osculo sancto. Salutant
vos omnes sancti. Gratia domini nostri iesu christi et
caritas dei et communicatio sancti spiritus sit cum
omnibus vobis amen. Paulus apostolus non ab hominibus
neque per hominem sed per iesum christum et deum
patrem qui suscitavit eum a mortuis et qui mecum
sunt omnes fratres ecclesiis galatiae. Gratia vobis et
pax a deo patre et domino nostro iesu christo qui dedit
semetipsum pro peccatis nostris ut eriperet nos de
praesenti saeculo nequam secundum voluntatem dei et
patris nostri cui est honor et gloria in saecula
saeculorum amen. Miror quod sic tam cito transferamini
ab eo qui vocavit vos in gratia christi in aliud evangelium
quod non est aliud nisi sunt aliqui qui vos conturbant
et volunt convertere evangelium christi. Sed licet nos
aut angelus de caelo evangelizet vobis praeterquam
quod evangelizavimus vobis anathema sit. Sicut praedixi
et nunc iterum dico si quis vobis evangelizaverit praeter
id quod accepistis anathema sit. Modo enim hominibus
suadeo an deo an quaero hominibus placere si adhuc
hominibus placerem christi servus non essem. Notum
enim vobis facio fratres evangelium quod evangelizatum
est a me quia non est secundum hominem. Neque enim
ego ab homine accepi illud neque didici sed per
revelationem iesu christi. Audistis enim conversationem
meam aliquando in iudaismo quoniam supra modum
persequebar ecclesiam dei et expugnabam illam et
proficiebam in iudaismo supra multos coetaneos in
genere meo abundantius aemulator existens paternarum
mearum traditionum. Cum autem placuit deo qui
segregavit me de utero matris meae et vocavit per
gratiam suam ut revelaret filium suum in me ut
evangelizarem illum in gentibus continuo non acquievi
carni et sanguini neque veni hierosolymam ad antecessores
meos apostolos sed abii in arabiam et iterum reversus
sum damascum deinde post annos tres veni hierosolymam
videre petrum et mansi apud eum diebus quindecim
alium autem apostolorum vidi neminem nisi iacobum
fratrem domini. Quae autem scribo vobis ecce coram
deo quia non mentior. Deinde veni in partes syriae et
ciliciae. Eram autem ignotus facie ecclesiis iudaeae
quae erant in christo tantummodo autem auditum
habebant quia qui persequebatur nos aliquando nunc
evangelizat fidem quam aliquando expugnabat et in me
magnificabant deum in christo. Deinde post annos
quattuordecim iterum ascendi hierosolymam cum barnaba
assumpto et tito. Ascendi autem secundum revelationem
et contuli cum illis evangelium quod praedico in gentibus
seorsum autem his qui videbantur aliquid essent ne
forte in vacuum currerem aut cucurrissem. Sed neque
titus qui mecum erat cum esset gentilis compulsus est
circumcidi. Propter subintroductos autem falsos fratres
qui subintroierunt exploratum libertatem nostram quam
habemus in christo iesu ut nos in servitutem redigerent.
Quibus neque ad horam cessimus subiectione ut veritas
evangelii permaneat apud vos. A quibus autem qui
videbantur esse aliquid quidquid aliquando fuerint nihil
mea refert deus personam hominis non accipit. Mihi
enim qui videbantur aliquid esse nihil contulerunt sed
e contrario cum vidissent quod creditum est mihi
evangelium praeputii sicut petro circumcisionis. Qui
enim operatus est petro in apostolatum circumcisionis
operatus est et mihi inter gentes. Et cum cognovissent
gratiam quae data est mihi iacobus et cephas et iohannes
qui videbantur columnae esse dextras dederunt mihi et
barnabae societatis ut nos in gentes ipsi autem in
circumcisionem tantum ut pauperum memores essemus
quae et sollicitus fui hoc ipsum facere. Cum autem
venisset cephas antiochiam in faciem ei restiti quia
reprehensibilis erat. Prius enim quam venirent quidam
a iacobo cum gentibus edebat cum autem venissent
subtrahebat et segregabat se timens eos qui ex circumcisione
erant. Et simulationi eius consentiebant ceteri iudaei
ita ut et barnabas duceretur illorum simulatione. Sed
cum vidissem quod non recte ambularent ad veritatem
evangelii dixi cephae coram omnibus si tu iudaeus cum
sis gentiliter et non iudaice quomodo gentes cogis
iudaizare. Nos natura iudaei et non ex gentibus
peccatores. Scientes autem quod non iustificatur homo
ex operibus legis nisi per fidem iesu christi et nos in
christo iesu credidimus ut iustificemur ex fide christi
et non ex operibus legis quia ex operibus legis non
iustificabitur omnis caro. Quod si quaerentes iustificari
in christo inventi sumus et ipsi peccatores numquid
christus peccati minister est absit. Si enim quae destruxi
haec iterum aedifico praevaricatorem me constituo.
Ego enim per legem legi mortuus sum ut deo vivam
christo confixus sum cruci. Vivo autem iam non ego
vivit vero in me christus. Quod autem nunc vivo in
carne in fide vivo filii dei qui dilexit me et tradidit
semetipsum pro me. Non abicio gratiam dei si enim per
legem iustitia est ergo christus gratis mortuus est.
O insensati galatae quis vos fascinavit ante quorum
oculos iesus christus proscriptus est crucifixus inter
vos hoc solum volo discere a vobis ex operibus legis
spiritum accepistis an ex auditu fidei. Sic stulti estis
ut cum spiritu coeperitis nunc carne consummemini.
Tanta passi estis sine causa si tamen sine causa. Qui
ergo tribuit vobis spiritum et operatur virtutes in vobis
ex operibus legis an ex auditu fidei. Sicut abraham
credidit deo et reputatum est illi ad iustitiam. Cognoscite
ergo quia qui ex fide sunt hi sunt filii abrahae. Providens
autem scriptura quia ex fide iustificat gentes deus
praenuntiavit abrahae quia benedicentur in te omnes
gentes. Igitur qui ex fide sunt benedicentur cum fideli
abraham. Quicumque enim ex operibus legis sunt sub
maledicto sunt. Scriptum est enim maledictus omnis qui
non permanet in omnibus quae scripta sunt in libro legis
ut faciat ea. Quod autem in lege nemo iustificatur apud
deum manifestum est quia iustus ex fide vivit. Lex autem
non est ex fide sed qui fecerit ea vivet in illis. Christus
nos redemit de maledicto legis factus pro nobis
maledictum quia scriptum est maledictus omnis qui
pendet in ligno. Ut benedictio abrahae fieret in gentibus
in christo iesu ut promissionem spiritus accipiamus per
fidem. Fratres secundum hominem dico tamen hominis
confirmatum testamentum nemo spernit aut superordinat.
Abrahae dictae sunt promissiones et semini eius. Non
dicit et seminibus quasi in multis sed quasi in uno et
semini tuo qui est christus. Hoc autem dico testamentum
confirmatum a deo quae post quadringentos et triginta
annos facta est lex non infirmat ad evacuandam
promissionem. Si enim ex lege hereditas iam non ex
promissione. Abrahae autem per repromissionem donavit
deus. Quid ergo lex posita est propter transgressionem
donec veniret semen cui promisit ordinata per angelos
in manu mediatoris. Mediator autem unius non est
deus autem unus est. Lex ergo adversus promissa dei
absit. Si enim data esset lex quae posset vivificare
vere ex lege esset iustitia. Sed conclusit scriptura
omnia sub peccato ut promissio ex fide iesu christi
daretur credentibus. Antequam autem veniret fides sub
lege custodiebamur conclusi in eam fidem quae revelanda
erat. Itaque lex pedagogus noster fuit in christo ut ex
fide iustificemur. Fide autem superveniente iam non
sumus sub pedagogo. Omnes enim filii dei estis per
fidem in christo iesu. Quicumque enim in christo
baptizati estis christum induistis. Non est iudaeus neque
graecus non est servus neque liber non est masculus
neque femina omnes enim vos unum estis in christo
iesu. Si autem vos christi abrahae semen estis secundum
promissionem heredes. Dico autem quamdiu heres parvulus
est nihil differt a servo dominus omnium cum sit sed
sub tutoribus est et actoribus usque ad praefinitum a
patre tempus. Sic et nos cum essemus parvuli sub
elementis huius mundi eramus servientes. Sed postquam
venit plenitudo temporis misit deus filium suum factum
ex muliere factum sub lege ut eos qui sub lege erant
redimeret ut adoptionem filiorum reciperemus. Quia
autem estis filii misit deus spiritum filii sui in corda
vestra clamantem abba pater. Itaque iam non est servus
sed filius. Quod si filius et heres per deum. Sed tunc
quidem nescientes deum servistis his qui natura non
sunt dii. Nunc autem cognoscentes deum immo cogniti
a deo quomodo convertimini iterum ad infirma et egena
elementa quibus denuo servire vultis. Dies observatis
et menses et tempora et annos. Timeo vos ne forte
sine operatus in vobis labor meus. Estote sicut ego
quia et ego sicut vos fratres deprecor vos nihil me
laesistis. Scitis autem quod per infirmitatem carnis
evangelizaverim vobis olim. Et tentationem meam in
carne mea non estis aspernati neque respuistis sed sicut
angelum dei excepistis me sicut christum iesum. Ubi
ergo beatitudo vestra testimonium enim perhibeo vobis
quia si fieri potuisset oculos vestros eruissetis et dedissetis
mihi. Igitur inimicus factus sum vobis verum dicens.
Aemulantur vos non bene sed excludere vos volunt ut
illos aemulemini. Bonum autem aemulamini in bono
semper et non solum cum praesens sum apud vos.
Filioli mei quos iterum parturio donec formetur christus
in vobis. Volo autem modo adesse apud vos et mutare
vocem meam quia confundor in vobis. Dicite mihi qui
sub lege vultis esse legem non legistis. Scriptum est
enim quoniam abraham duos filios habuit unum de
ancilla et unum de libera. Sed qui de ancilla secundum
carnem natus est qui autem de libera per repromissionem.
Quae sunt per allegoriam dicta haec enim sunt duo
testamenta unum quidem a monte sina in servitutem
generans quae est agar. Sina enim mons est in arabia
qui autem coniunctus est ei quae nunc est hierusalem
et servit cum filiis suis. Quae autem sursum est
hierusalem libera est quae est mater nostra. Scriptum
est enim laetare sterilis quae non paris erumpe et clama
quae non parturis quia multi filii desertae magis quam
eius quae habet virum. Nos autem fratres secundum
isaac promissionis filii sumus. Sed quemadmodum tunc
is qui secundum carnem natus persequebatur eum qui
secundum spiritum ita et nunc. Sed quid dicit scriptura
eice ancillam et filium eius non enim erit heres filius
ancillae cum filio liberae. Itaque fratres non sumus
ancillae filii sed liberae qua libertate christus nos
liberavit state et nolite iterum iugo servitutis contineri.
Ecce ego paulus dico vobis quia si circumcidamini
christus vobis nihil proderit. Testificor autem rursum
omni homini circumcidenti se quia debitor est universae
legis faciendae. Evacuati estis a christo qui in lege
iustificamini a gratia excidistis. Nos enim spiritu ex
fide spem iustitiae exspectamus. In christo enim iesu
neque circumcisio aliquid valet neque praeputium sed
fides quae per caritatem operatur. Currebatis bene quis
vos impedivit veritati non obedire. Persuasio haec non
est ex eo qui vocat vos. Modicum fermentum totam
massam corrumpit. Ego confido in vobis in domino non
aliter sapietis qui autem conturbat vos portabit iudicium
quicumque fuerit ille. Ego autem fratres si circumcisionem
adhuc praedico quid adhuc persecutionem patior ergo
evacuatum est scandalum crucis. Utinam et abscidantur
qui vos conturbant. Vos enim in libertatem vocati estis
fratres tantum ne libertatem in occasionem detis carni
sed per caritatem spiritus servite invicem. Omnis enim
lex in uno sermone impletur diligis proximum tuum
sicut teipsum. Si autem invicem mordetis et comeditis
videte ne ab invicem consumamini. Dico autem spiritu
ambulate et desideria carnis non perficietis. Caro enim
concupiscit adversus spiritum spiritus autem adversus
carnem haec enim invicem adversantur sibi ut non quae
vultis illa faciatis. Quod si spiritu ducimini non estis
sub lege. Manifesta autem sunt opera carnis quae sunt
fornicatio immunditia luxuria idolorum servitus veneficia
inimicitiae contentiones aemulationes iracundiae rixae
dissensiones sectae invidiae ebrietates comessationes et
his similia quae praedico vobis sicut praedixi quoniam
qui talia agunt regnum dei non consequentur. Fructus
autem spiritus est caritas gaudium pax patientia
benignitas bonitas longanimitas mansuetudo fides
modestia continentia castitas. Adversus huiusmodi non
est lex. Qui autem christi sunt carnem suam crucifixerunt
cum vitiis et concupiscentiis. Si vivimus spiritu spiritu
et ambulemus. Non efficiamur inanis gloriae cupidi
invicem provocantes invicem invidentes. Fratres etenim
si praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto vos qui
spirituales estis huiusmodi instruite in spiritu lenitatis
considerans teipsum ne et tu tentaris. Alter alterius
onera portate et sic adimplebitis legem christi. Nam si
quis existimat se aliquid esse cum nihil sit ipse se
seducit. Opus autem suum probet unusquisque et sic in
semetipso tantum gloriam habebit et non in altero.
Unusquisque enim onus suum portabit. Communicet autem
is qui catechizatur verbo ei qui catechizat se in omnibus
bonis. Nolite errare deus non irridetur. Quae enim
seminaverit homo haec et metet. Quoniam qui seminat
in carne sua de carne et metet corruptionem. Qui autem
seminat in spiritu de spiritu metet vitam aeternam.
Bonum autem facientes non deficiamus tempore suo
metemus non deficientes. Ergo dum tempus habemus
operemur bonum ad omnes maxime autem ad domesticos
fidei. Videte qualibus litteris scripserim vobis meo
chirographo. Quicumque enim volunt placere in carne
hi cogunt vos circumcidi tantum ut crucem christi non
patiantur. Neque enim qui circumcisi sunt legem custodiunt
sed volunt vos circumcidi ut in carne vestra glorientur.
Mihi autem absit gloriari nisi in cruce domini nostri
iesu christi per quem mihi mundus crucifixus est et ego
mundo. In christo enim iesu neque circumcisio aliquid
valet neque praeputium sed nova creatura. Et quicumque
hanc regulam secuti fuerint pax super illos et misericordia
et super israel dei. De cetero nemo mihi molestus sit
ego enim stigmata domini iesu in corpore meo porto.
Gratia domini nostri iesu christi cum spiritu vestro
fratres amen. Paulus apostolus iesu christi per voluntatem
dei sanctis qui sunt ephesi et fidelibus in christo iesu.
Gratia vobis et pax a deo patre nostro et domino iesu
christo. Benedictus deus et pater domini nostri iesu
christi qui benedixit nos in omni benedictione spirituali
in caelestibus in christo sicut elegit nos in ipso ante
mundi constitutionem ut essemus sancti et immaculati
in conspectu eius in caritate. Qui praedestinavit nos in
adoptionem filiorum per iesum christum in ipsum secundum
propositum voluntatis suae in laudem gloriae gratiae
suae in qua gratificavit nos in dilecto filio suo in quo
habemus redemptionem per sanguinem eius remissionem
peccatorum secundum divitias gratiae eius quae superabundavit
in nobis in omni sapientia et prudentia ut notum faceret
nobis sacramentum voluntatis suae secundum bonum
placitum eius quod proposuit in eo in dispensatione
plenitudinis temporum instaurare omnia in christo quae
in caelis et quae in terra sunt in ipso in quo et nos
sorte vocati praedestinati secundum propositum eius qui
omnia operatur secundum consilium voluntatis suae ut
simus in laudem gloriae eius nos qui ante speravimus
in christo in quo et vos cum audissetis verbum veritatis
evangelium salutis vestrae in quo credentes signati estis
spiritu promissionis sancto qui est pignus hereditatis
nostrae in redemptionem adquisitionis in laudem gloriae
eius. Propterea et ego audiens fidem vestram quae est
in christo iesu et dilectionem quam habetis in omnes
sanctos non cesso gratias agens pro vobis memoriam
vestri faciens in orationibus meis ut deus domini nostri
iesu christi pater gloriae det vobis spiritum sapientiae
et revelationis in agnitione eius illuminatos oculos cordis
vestri ut sciatis quae sit spes vocationis eius et quae
divitiae gloriae hereditatis eius in sanctis et quae sit
supereminens magnitudo virtutis eius in nos qui credimus
secundum operationem potentiae virtutis eius quam
operatus est in christo suscitans illum a mortuis et
constituens ad dexteram suam in caelestibus super
omnem principatum et potestatem et virtutem et dominationem
et omne nomen quod nominatur non solum in hoc saeculo
sed etiam in futuro et omnia subiecit sub pedibus eius
et ipsum dedit caput super omnem ecclesiam quae est
corpus ipsius et plenitudo eius qui omnia in omnibus
adimpletur. Et vos cum essetis mortui delictis et peccatis
vestris in quibus aliquando ambulastis secundum saeculum
huius mundi secundum principem potestatis aeris huius
spiritus qui nunc operatur in filios diffidentiae in quibus
et nos omnes conversati aliquando in desideriis carnis
nostrae facientes voluntates carnis et cogitationum et
eramus natura filii irae sicut et ceteri sed deus qui
dives est in misericordia propter nimiam caritatem suam
qua dilexit nos et cum essemus mortui peccatis convivificavit
nos christo cuius gratia estis salvati et conresuscitavit
et consedere fecit in caelestibus in christo iesu ut ostenderet
in saeculis superventuribus abundantes divitias gratiae
suae in bonitate super nos in christo iesu. Gratia enim
estis salvati per fidem et hoc non ex vobis dei enim
donum est non ex operibus ut ne quis extollatur. Ipsius
enim sumus figmentum creati in christo iesu in operibus
bonis quae praeparavit deus ut in illis ambulemus.
Propter quod memores estote quod aliquando vos gentes
in carne qui dicebamini praeputium ab ea quae dicitur
circumcisio in carne quae manufacta est sine quod eratis
illo tempore sine christo alienati a conversatione israel
et hospites testamentorum eius spem promissionis non
habentes et sine deo in hoc mundo. Nunc autem in
christo iesu vos qui aliquando eratis longe facti estis
prope in sanguine christi. Ipse enim est pax nostra qui
fecit utraque unum et medium parietem maceriae solvens
inimicitias in carne sua legem mandatorum decretis
evacuans ut duos condat in semetipso in unum novum
hominem pacificans et reconciliet ambos in uno corpore
deo per crucem interficiens inimicitias in semetipso.
Et veniens evangelizavit pacem vobis qui longe fuistis
et pacem his qui prope quoniam per ipsum habemus
accessum ambo in uno spiritu ad patrem. Ergo iam non
estis hospites et advenae sed estis cives sanctorum et
domestici dei superaedificati super fundamentum apostolorum
et prophetarum ipso summo angulari lapide christo iesu
in quo omnis aedificatio constructa crescit in templum
sanctum in domino in quo et vos coaedificamini in
habitaculum dei in spiritu. Hujus rei gratia ego paulus
vinctus christi iesu pro vobis gentibus si tamen audistis
dispensationem gratiae dei quae data est mihi in vobis
quoniam secundum revelationem notum mihi factum est
sacramentum sicut supra scripsi in brevi ad quod potestis
legentes intellegere prudentiam meam in mysterio christi
quod aliis generationibus non est agnitum filiis hominum
sicut nunc revelatum est sanctis apostolis eius et
prophetis in spiritu esse gentes coheredes et concorporales
et comparticipes promissionis eius in christo per evangelium
cuius factus sum ego minister secundum donum gratiae
dei quae data est mihi secundum operationem virtutis
ipsius mihi omnium sanctorum minimo data est gratia
haec in gentibus evangelizare investigabilem divitias
christi et illuminare omnes quae sit dispensatio sacramenti
absconditi a saeculis in deo qui omnia creavit ut
innotescat principatibus et potestatibus in caelestibus
per ecclesiam multiformis sapientia dei secundum
praefinitionem saeculorum quam fecit in christo iesu
domino nostro in quo habemus fiduciam et accessum in
confidentia per fidem eius. Hoc petitionem habeo ne
deficiatis in tribulationibus meis pro vobis quae est
gloria vestra. Hujus rei gratia flecto genua mea ad
patrem domini nostri iesu christi ex quo omnis paternitas
in caelis et in terra nominatur ut det vobis secundum
divitias gloriae suae virtute corroborari per spiritum
eius in interiorem hominem habitare christum per fidem
in cordibus vestris in caritate radicati et fundati ut
possitis comprehendere cum omnibus sanctis quae sit
latitudo et longitudo et sublimitas et profundum scire
etiam supereminentem scientiae caritatem christi ut
impleamini in omnem plenitudinem dei. Ei autem qui
potens est facere abundanter quam petimus aut intellegimus
secundum virtutem quae operatur in nobis ipsi gloria in
ecclesia et in christo iesu in omnes generationes saeculi
saeculorum amen. Obsecro itaque vos ego vinctus in
domino ut digne ambuletis vocatione qua vocati estis
cum omni humilitate et mansuetudine cum patientia
supportantes invicem in caritate solliciti servare unitatem
spiritus in vinculo pacis. Unum corpus et unus spiritus
sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae. Unus
dominus una fides unum baptisma. Unus deus et pater
omnium qui est super omnes et per omnia et in omnibus
nobis. Unicuique autem nostrum data est gratia secundum
mensuram donationis christi. Propter quod dicit ascendens
in altum captivam duxit captivitatem dedit dona hominibus.
Quod autem ascendit quid est nisi quia et descendit
primum in inferiores partes terrae. Qui descendit ipse
est et qui ascendit super omnes caelos ut impleret omnia.
Et ipse dedit quosdam quidem apostolos quosdam autem
prophetas alios vero evangelistas alios autem pastores
et doctores ad consummationem sanctorum in opus
ministerii in aedificationem corporis christi donec
occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis filii
dei in virum perfectum in mensuram aetatis plenitudinis
christi ut iam non simus parvuli fluctuantes et circumferamur
omni vento doctrinae in nequitia hominum in astutia ad
circumventionem erroris. Veritatem autem facientes in
caritate crescamus in illo per omnia qui est caput
christus. Ex quo totum corpus compactum et connexum
per omnem iuncturam subministrationis secundum operationem
in mensuram unius cuiusque membri augmentum corporis
facit in aedificationem sui in caritate. Hoc ergo dico et
testificor in domino ut iam non ambuletis sicut et gentes
ambulant in vanitate sensus sui tenebris obscuratum
habentes intellectum alienati a vita dei per ignorantiam
quae est in illis propter caecitatem cordis ipsorum qui
desperantes tradiderunt semetipsos impudicitiae in
operationem immunditiae omnis in avaritiam. Vos autem
non ita didicistis christum si tamen illum audistis et in
ipso edocti estis sicut est veritas in iesu deponere vos
secundum pristinam conversationem veterem hominem qui
corrumpitur secundum desideria erroris renovamini autem
spiritu mentis vestrae et induite novum hominem qui
secundum deum creatus est in iustitia et sanctitate
veritatis. Propter quod deponentes mendacium loquimini
veritatem unusquisque cum proximo suo quoniam sumus
invicem membra. Irascimini et nolite peccare sol non
occidat super iracundiam vestram. Nolite locum dare
diabolo. Qui furabatur iam non furetur magis autem
laboret operando manibus suis quod bonum est ut habeat
unde tribuat necessitatem patienti. Omnis sermo malus
de ore vestro non procedat sed si quis bonus ad aedificationem
fidei ut det gratiam audientibus. Et nolite contristare
spiritum sanctum dei in quo signati estis in die
redemptionis. Omnis amaritudo et ira et indignatio et
clamor et blasphemia tollatur a vobis cum omni malitia.
Estote autem invicem benigni misericordes donantes
invicem sicut et deus in christo donavit vobis. Estote
ergo imitatores dei sicut filii carissimi et ambulate in
dilectione sicut et christus dilexit nos et tradidit
semetipsum pro nobis oblationem et hostiam deo in
odorem suavitatis. Fornicatio autem et omnis immunditia
aut avaritia nec nominetur in vobis sicut decet sanctos
aut turpitudo aut stultiloquium aut scurrilitas quae ad
rem non pertinet sed magis gratiarum actio. Hoc enim
scitote intellegentes quod omnis fornicator aut immundus
aut avarus quod est idolorum servitus non habet
hereditatem in regno christi et dei. Nemo vos seducat
inanibus verbis propter haec enim venit ira dei in filios
diffidentiae. Nolite ergo effici participes eorum. Fuistis
enim aliquando tenebrae nunc autem lux in domino.
Ut filii lucis ambulate fructus enim lucis est in omni
bonitate et iustitia et veritate probantes quid sit
beneplacitum deo et nolite communicare operibus infructuosis
tenebrarum magis autem et redarguite. Quae enim in
occulto fiunt ab ipsis turpe est et dicere. Omnia autem
quae arguuntur a lumine manifestantur. Omne enim quod
manifestatur lumen est. Propter quod dicit surge qui
dormis et exurge a mortuis et illuminabit te christus.
Videte itaque fratres quomodo caute ambuletis non quasi
insipientes sed ut sapientes redimentes tempus quoniam
dies mali sunt. Propter hoc nolite fieri imprudentes sed
intellegentes quae sit voluntas dei. Et nolite inebriari
vino in quo est luxuria sed implemini spiritu loquentes
vobismetipsis in psalmis et hymnis et canticis spiritalibus
cantantes et psallentes in cordibus vestris deo patri
gratias agentes semper pro omnibus in nomine domini
nostri iesu christi. Subiecti invicem in timore christi.
Mulieres viris suis sicut domino quoniam vir caput est
mulieris sicut christus caput est ecclesiae ipse salvator
corporis eius. Sed sicut ecclesia subiecta est christo ita
et mulieres viris suis in omnibus. Viri diligite uxores
vestras sicut et christus dilexit ecclesiam et seipsum
tradidit pro ea ut illam sanctificaret mundans lavacro
aquae in verbo vitae ut exhiberet ipse sibi gloriosam
ecclesiam non habentem maculam aut rugam aut aliquid
huiusmodi sed ut sit sancta et immaculata. Ita et viri
debent diligere uxores suas ut corpora sua qui suam
uxorem diligit seipsum diligit. Nemo enim unquam carnem
suam odio habuit sed nutrit et fovet eam sicut et christus
ecclesiam quia membra sumus corporis eius de carne eius
et de ossibus eius. Propter hoc relinquet homo patrem
suum et matrem et adhaerebit uxori suae et erunt duo
in carne una. Sacramentum hoc magnum est ego autem
dico in christo et in ecclesia. Verumtamen et vos singuli
unusquisque uxorem suam sicut seipsum diligat uxor
autem timeat virum suum. Filii obedite parentibus vestris
in domino hoc enim iustum est honora patrem tuum et
matrem quod est mandatum primum in promissione ut
bene sit tibi et sis longaevus super terram. Et vos patres
nolite ad iracundiam provocare filios vestros sed educate
illos in disciplina et correptione domini. Servi obedite
dominis carnalibus cum timore et tremore in simplicitate
cordis vestri sicut christo non ad oculum servientes quasi
hominibus placentes sed ut servi christi facientes voluntatem
dei de animo operantes cum bona voluntate servientes
sicut domino et non hominibus scientes quod unusquisque
quodcumque fecerit bonum hoc recipiet a domino sive
servus sive liber. Et domini eadem facite illis remittentes
minas scientes quod et illorum et vester dominus est in
caelis et personarum acceptio non est apud eum. De
cetero fratres confortamini in domino et in potentia
virtutis eius. Induite vos armaturam dei ut possitis stare
adversus insidias diaboli. Quoniam non est nobis
colluctatio adversus carnem et sanguinem sed adversus
principes et potestates adversus mundi rectores tenebrarum
harum contra spiritalia nequitiae in caelestibus. Propterea
accipite armaturam dei ut possitis resistere in die malo
et omnibus perfectis stare. State ergo succincti lumbos
vestros in veritate et induti loricam iustitiae et calceati
pedes in praeparatione evangelii pacis in omnibus sumentes
scutum fidei in quo possitis omnia tela nequissimi ignea
extinguere et galeam salutis assumite gladium spiritus
quod est verbum dei per omnem orationem et obsecrationem
orantes omni tempore in spiritu et in ipso vigilantes in
omni instantia et obsecratione pro omnibus sanctis et pro
me ut detur mihi sermo in aperitione oris mei cum
fiducia notum facere mysterium evangelii pro quo legatione
fungor in catena ut in ipso fiducialiter audeam prout
oportet me loqui. Ut autem sciatis et vos quae circa me
sunt quid agam omnia vobis notum faciet tychicus
carissimus frater et fidelis minister in domino quem misi
ad vos ad hoc ipsum ut cognoscat quae circa nos sunt et
consoletur corda vestra. Pax fratribus et caritas cum fide
a deo patre et domino iesu christo. Gratia cum omnibus
qui diligunt dominum nostrum iesum christum in
incorruptione. Paulus et timotheus servi iesu christi
omnibus sanctis in christo iesu qui sunt philippis cum
episcopis et diaconibus gratia vobis et pax a deo patre
nostro et domino iesu christo. Gratias ago deo meo in
omni memoria vestri semper in cunctis orationibus meis
pro omnibus vobis cum gaudio deprecationem faciens
super communicatione vestra in evangelio a prima die
usque nunc. Confidens hoc ipsum quia qui coepit in vobis
opus bonum perficiet usque in diem christi iesu. Sicut
mihi iustum est hoc sentire pro omnibus vobis eo quod
habeam vos in corde et in vinculis meis et in defensione
et confirmatione evangelii omnes vos gaudium meum esse
participes. Testis enim mihi est deus quomodo cupiam
omnes vos in visceribus iesu christi. Et hoc oro ut
caritas vestra magis et magis abundet in scientia et in
omni sensu ut probetis potiora ut sitis sinceri et sine
offensa in diem christi repleti fructu iustitiae per iesum
christum in gloriam et laudem dei. Scire autem vos volo
fratres quia quae circa me sunt magis in profectum
evangelii venerunt ita ut vincula mea manifesta fierent
in christo in omni praetorio et in ceteris omnibus et
plures fratres in domino confidentes vinculis meis
abundantius audere sine timore verbum dei loqui. Quidam
quidem et propter invidiam et contentionem quidam autem
et propter bonam voluntatem christum praedicant. Et illi
quidem ex contentione christum annuntiant non sincere
existimantes pressuram se suscitare vinculis meis. Quid
enim interest dum omni modo sive occasione sive veritate
christus annuntietur in hoc et gaudeo sed et gaudebo.
Scio enim quia hoc mihi proficiet ad salutem per vestram
orationem et subministrationem spiritus sancti secundum
exspectationem et spem meam quia in nullo confundar
sed in omni fiducia sicut semper et nunc magnificabitur
christus in corpore meo s

sapere in alterutrum secundum ihesum christum. ut unanimes
uno ore honorificetis deum et patrem domini nostri ihesu
christi. Propter quod suscipite invicem sicut et christus suscepit
vos in honorem dei. Dico enim christum ihesum ministrum
fuisse circumcisionis propter veritatem dei ad confirmandas
promissiones patrum. Gentes autem super misericordiam hono
rare deum sicut scriptum est. Propterea confitebor tibi in genti
bus domine et nomini tuo cantabo. Et iterum dicit. Le
tamini gentes simul cum plebe eius. Et iterum. Lau
date dominum omnes gentes et magnificate eum omnes populi.
Et rursum ysaias ait. Erit radix iesse et qui
exurget regere gentes. in eum gentes sperabunt. Deus autem
spei repleat vos omni gaudio et pace in creden
do. ut abundetis in spe et virtute spiritus sancti. Certus
sum autem fratres mei et ego ipse de vobis. quoniam et ipsi
pleni estis dilectione. repleti omni scientia. ita
ut possitis alterutrum monere. Audacius autem scripsi vobis
fratres ex parte tamquam in memoriam vos reducens
propter gratiam que data est mihi a deo. ut sim minister
christi ihesu in gentibus. sanctificans evangelium dei. ut
fiat oblatio gentium accepta et sanctificata in spiritu
sancto. Habeo igitur gloriam in christo ihesu ad deum. Non enim audeo
aliquid loqui eorum que per me non efficit christus
in obedientiam gentium. verbo et factis. in virtute
signorum et prodigiorum. in virtute spiritus sancti. ita ut
ab ierusalem per circuitum usque ad illiricum repleverim
evangelium christi. Sic autem hoc predicavi evangeli
um. non ubi nominatus est christus ne super alienum funda
mentum edificarem. sed sicut scriptum est. Quibus non
est annuntiatum de eo videbunt et qui non au
dierunt intelligent. Propter quod et impediebar plurimum
venire ad vos. Nunc vero ulterius locum non habens
in his regionibus. cupiditatem autem habens ve
niendi ad vos ex multis iam precedentibus
annis. cum in hyspaniam proficisci cepero. spero quod
preteriens videbo vos. et a vobis deducar illuc
si vobis primum ex parte fruitus fuero. Nunc igitur pro
ficiscar ierusalem ministrare sanctis. Probaverunt enim
macedonia et achaia. collationem aliquam facere
in pauperes sanctorum qui sunt in ierusalem. Placuit enim
eis. et debitores sunt eorum. Nam si spiritualium eorum
participes facti sunt gentiles. debent et in car
nalibus ministrare eis. Hoc igitur cum consummavero
et assignavero eis fructum hunc. proficiscar per
vos in hyspaniam. Scio autem quoniam veniens ad vos in
habundantiam benedictionis christi veniam.
Obsecro igitur vos fratres per dominum nostrum ihesum christum. et per
caritatem spiritus sancti. ut adiuvetis me in orati
onibus pro me ad deum. ut liberer ab infidelibus qui
sunt in iudea. et obsequii mei oblatio accep
ta fiat in ierosolimam sanctis. ut veniam ad
vos in gaudio per voluntatem dei et refriger
er vobiscum. Deus autem pacis sit cum omnibus vobis. Amen.

XVI Commendo autem vobis phebem sororem nostram
que est in ministerio ecclesie que est in cencris. ut
eam suscipiatis in domino digne sanctis. et assi
statis ei in quocumque negotio indiguerit
(vii)

enim ipsa quoque astitit multis et mihi ipsi. Salutate
priscam et aquilam. adiutores meos in christo ihesu.
qui pro anima mea suas cervices supposuerunt. quibus
non solum ego gratias ago. sed et cuncte ecclesie gen
tium. et domesticam eorum ecclesiam. Salutate e
penetum dilectum mihi. qui est primitivus asie
in christo ihesu. Salutate mariam que multum labora
vit in vobis. Salutate andronicum et iuliam cog
natos et concaptivos meos qui sunt nobiles in apo
stolis. qui et ante me fuerunt in christo. Saluta
te ampliatum dilectissimum mihi in domino. Salu
tate urbanum adiutorem nostrum in christo et stachin
dilectum meum. Salutate apellen probum in christo.
Salutate eos qui sunt ex aristoboli domo. Sa
lutate herodionem cognatum meum. Saluta
te eos qui sunt ex narcissi domo qui sunt in domino.
Salutate tryphenam et tryphosam que laborant in domino.
Salutate persidam carissimam que multum la
boravit in domino. Salutate rufum electum in do
mino. et matrem eius et meam. Salutate asin
critum. flegontem. hermen. patrobam. her
man. et qui cum eis sunt fratres. Salutate philologum.
et iuliam. nereum. et sororem eius. et olimpiadem. et omnes
qui cum eis sunt sanctos. Salutate invicem in osculo
sancto. Salutant vos omnes ecclesie christi. Rogo autem
vos fratres. ut observetis eos. qui dissensiones et
offendicula. preter doctrinam quam vos didicistis
faciunt. et declinate ab illis. Huiusmodi enim christo
domino nostro non serviunt. sed suo ventri. Et per dulces ser
mones. et benedictiones. seducunt corda in
nocentium. Vestra enim obedientia in omnem locum di
vulgata est. Gaudeo igitur in vobis. Sed volo vos
sapientes esse in bono. et simplices in malo. Deus
autem pacis conterat sathanam sub pedibus vestris
velociter. Gratia domini nostri ihesu christi vobiscum. Salutat
vos timotheus adiutor meus. et lucius. et iason. et so
sipater cognati mei. Saluto vos ego tertius qui
scripsi epistolam in domino. Salutat vos gaius ho
spes meus. et universe ecclesie. Salutat vos era
stus archarius civitatis. et quartus frater. Gratia domini
nostri ihesu christi cum omnibus vobis. Amen. Ei autem qui potens
est vos confirmare iuxta evangelium meum et predi
cationem ihesu christi secundum revelationem misterii temporibus
eternis taciti. quod nunc patefactum est per scripturas prophe
tarum. secundum preceptum eterni dei. ad obeditionem fidei
in cunctis gentibus cogniti soli sapienti deo per ihesum
christum. cui honor et gloria in secula seculorum. Amen.

PAULUS
vocatus apostolus ihesu christi per vo
luntatem dei. et sostenes
frater. ecclesie dei que est corinthi
sanctificatis in christo ihesu voca
tis sanctis. cum omnibus qui
invocant nomen domini nostri ihesu christi. in omni
loco ipsorum et nostro. Gratia vobis et pax a deo